

illi duas partes numerent, propositionem et approbationem, sibi unam partem videri, propositionem: quae si approbata non sit, propositio non sit argumentationis. Item, quae ab illis assumptio, et assumptionis approbatio dicatur, eandem sibi assumptionem solam videri. Ita fit, ut eadem ratione argumentatio tractata, aliis tripartita, aliis quinquepartita videatur. Quare evenit, ut res non tam ad usum dicendi pertineat, quam ad rationem praeceptionis.

Cap. XXXV. Nobis autem commodior illa partitio videtur esse, quae in quinque partes distributa est, quam omnes, ab Aristotele et Theophrasto profecti, maxime secuti sunt. Nam quemadmodum illud superius genus argumentandi, quod per inductionem sumitur, maxime Socrates, et Socratici pertractarunt: sic hoc, quod per ratiocinationem expolitur, summe est ab Aristotele et Theophrasto atque a Peripateticis frequentatum; deinde a rhetoribus iis, qui elegantissimi atque artificiosissimi putati sunt. Quare autem nobis illa magis partitio probetur, dicendum videtur, ne temere secuti putemur: et breviter dicendum, ne in hujusmodi rebus diutius, quam ratio praeciipiendi postulet, commoremur.

Cap. XXXVI. Si quadam in argumentatione satis est uti propositione, et non oportet adjungere approbationem propositioni; quadam autem in argumentatione infirma est propositio, nisi adjuncta sit approbatio: separatum quiddam est a propositione approbatio. Quod enim et adjungi et separari ab aliquo potest; id non potest idem esse, quod est id, ad quod adjungitur, et a quo separatur. Est autem quaedam argumentatio, in qua propositio non indiget approbatione; et quaedam, in qua nihil valet sine approbatione, ut ostendemus. Separata est igitur a propositione approbatio. Ostendetur autem id, quod polliciti sumus, hoc modo: Quae propositio in se quiddam continet perspicuum, et quod constare inter omnes necesse est, hanc velle approbare et firmare nihil attinet. Ea est hujusmodi: *Si, quo die ista*